



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatum Serie Vigessimvm-Octavvm De Matrimoniis, &  
Sponsalibus, cum Indicibus necessariis

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

Quibus in euentibus excuseris à debiti redditione. §. 10.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76659)

Sanch. & Gutierr. loc. alleg. & Coninch. disp. 34. dub. 10. num. 88. Et diximus latè, 1. part. tract. 1. de conscient. disputatio. 2. & 3.

4 Ceterum in hac re distinctione utendum est, & examinanda nullitatis causa: si enim impedimentum sit iuris Divini, & naturalis, eo quod probabiliter credas tempore contracti matrimonij coniugem vivere, etsi probabilis existimes mortuum esse, nequaquam debitum petere potes, quia iniquè ob solam opinionem coniugem priorem spoliatis iure sibi quaesito, & possessione, quam in tuum corpus habet, ideòque in cap. in presentia 19. de sponsalib. statuitur neminem ad secundas nuptias transire posse, quin ei constet de prioris coniugis morte. Neque obest cuilibet licitum esse opinionem probabilem amplecti, quia esto sit opinio probabilis de morte coniugis, & de matrimonij valore, non tamen est probabilis opinio ea solutim opinione stante tibi licitum esse matrimonij contractum, neque usum illius. Ab hac tamen doctrina excipi debet impedimentum impotentiae, cuius opinio, vel dubium matrimonio contrahendo eiusus vsui non obstat, eo quod stat possessio, & praesumptio pro potentia, dum manifestè contrarium non probatur, neque alius est modus inuestigandi veritatem quam matrimonij vsu, ideòque à iure dubitantibus de impotentia conceditur experientia triennalis, iuxta cap. laudabilem. s. de frigid. & maleficiat. & notatur Vazq. disp. 66. cap. 4. Montefin. ibi disp. 29. quest. 4. Lorca disp. 88. Basilius Ponce, lib. 10. de matr. cap. 15. num. 14. Hurtado de matr. disp. 10. diff. 9. in fine.

At si impedimentum solo humano iure inductum sit adhuc subdistingendum est cum Aegid. de Coninch. disp. 34. dub. 10. num. 104. si enim tempore contrahendi matrimonij opinionem, vel dubium habeas subesse impedimentum, & diligentia facta ad veritatem inuestigandam vincere dubium non potuisti; à matrimonio contrahendo, eiusus integrò vsu non impediris, quia dum tibi non constat de impedimento iure humano inducto liberum te reputare debes ob possessionem innatè libertatis. Verum si tibi constat impedimentum subesse, nescis tamen certò, an dispensatione sublatum sit, sed tantum probabiles rationes habes, iniquè matrimonium contrahis, & nullatenus debitum petere potes, etsi obligaris reddere: quia stat possessio pro impedimento, secus esset si tibi constaret dispensationem obtentam esse, & probabiliter dubitares de illius nullitate, quia eo casu stat pro dispensationis valore impedimentum cessatio possessio.

5 Illis eventibus quibus mala fide matrimonium contraxisti ob cuius causam impeditus es à petitione debiti; alius id cognoscens non renetur tibi petenti debitum concedere, quia ubi nulla est petitio, nulla est culpa illius negatio. Quod si ex tua alteriusve parte mala fides adfuit in matrimonio contrahendo nec petere nec reddere potestis, sed thoro separari deberis, quia neuter ius acquisivit, ratione cuius redditus honestari possit, ut bene notarunt Henricq. lib. 1. cap. 11. num. 5. Sanch. lib. 9. disp. 42. num. 7. & lib. 2. disp. 41. num. 54. & seqq. Coninch. disp. 34. dub. 10. num. 102. Gutierr. cap. 49. de matr. num. 30.

6 Tandem si dubius sis de valore matrimonij, omittis opinionibus, quas latè refert Sanch. lib. 2. disp. 41. q. 4. à num. 42. Et ex illo Gutierr. cap. 49. à n. 28. breuiter iuxta supradicta dicendum est, si tempore contractus sic dubius de impedimento fuisti, ut illicitè contraxeris; etsi tenearis debitum reddere alteri bonà fide contrahenti; quia cum iure suo spoliare non potes; at petere tibi non permittitur; quia stat pro impedimento possessio, & mala fides impedit, ne matrimonio utaris cum periculo fornicationis, sicuti expressè definitur in cap. Dominus de secund. nuptiis, uti tradit D. Thom. communiter receptus in 4. d. 38. in fine. Sanch. pluribus relatis lib. 2. disp. 41. num. 45. Gutierr. capit. 49. numero 28. Coninch. disputat. 34. dub. 10. concl. 3. num. 101. At si tempore matrimonij contrahendi bona tibi adfuit fides, ob superueniens dubium vel opinionem de matrimonij nullitate non impediris à debiti petitione, quia ratione contractus bonà fide celebrati us & possessionem acquisisti in alterius coniugis corpus. Non igitur ob superueniens dubium deturbat à possessione debes. Neque contrarius est Textus in cap. inquisitioni de sentent. excommunicat. nam esto indistinctè loquatur, intelligendus est ante veritatis inquisitionem, vel de illis qui dubij fuerunt tempore matrimonij contrahendi. Atque ita docer plures referens Sanch. lib. 2. disp. 41. num. 46. & 47. Coninch. d. disp. 34. num. 105.

### §. X.

#### Quibus in eventibus excuseris à debiti redditione?

- 1 Excusaris, si coniux adulterium commisit te fidem seruante.
- 2 Item si diuortium legitime factum sit.
- 3 Praeterea si coniux legitime cedit iuri petendi.

- 4 Item excusaris, si prudenter times aliquid graui damnum inde tibi prouenturum.
- 5 Deinde excusaris, si proli concepta nocumentum afferat.
- 6 Emitteri votum castitatis regulariter non tenens reddere.
- 7 Idem est si affinitatem ex incestu contraxerit.
- 8 Plures afferunt excusare ab obligatione reddendi debitum difficultatem grauem in alendis filiis.
- 9 Verius conseo ob praedictam rationem te excusari non posse.

PRIMO certum est te excusatum esse si coniux adulterium committat te fidem seruante; & debet autem adulterium tibi certum moraliter esse; dum enim tibi non constat, tenens debitum reddere, ipsèque adulter legitime petere potest, dum adulteri crimine non excipitur. Quippe adulterium non ipso iure prius adulterium iure petendi debitum, sed innocenti concedit potestatem ipsum priuandi, & repellendi. Aliàs se ipso iure adulter priuatus priuandi, & repellendi debitum, ante innocentis exceptionem peccaret petendo, quod fecè omnes Doctores negant. Signum ergo est retinere ius petendi quouque ab innocente excipitur, atque adeò debitum non solum ut licitum, sed ut iure debitum postulare possit. Atque ita docent Caiet. 2. 1. tract. 31. opusc. 17. respons. 4. Sotus in 4. d. 36. quest. unica art. 4. Petr. de Soto lect. 16. de matr. Sanch. lib. 1. disp. 68. num. 4. & lib. 10. disp. 10. à num. 8. Coninch. disp. 23. dub. 12. num. 87. Paul. Layman. lib. 5. tract. 10. 3. part. cap. 1. num. 4.

Secundò te excusat diuortium legitime factum, sicuti docent omnes Doctores, quippè hæc exemptio præcipuum illius effectus est, ex quibus autem causis diuortium fieri possit inferius dicemus.

Tertiò est certum te esse excusatum, dum coniux legitime cedit iuri petenti. Poteris tamen hanc cessionem reuocare periculo incontinentiæ superueniente, nisi hæc cessio mutua sit, vel voto castitatis confirmata, de quibus infra.

Quartò liber es ab obligatione reddendi debitum, si ex eius redditione prudenter times aliquid graue damnum tuè salutis corporali prouenturum, quia non tenens generationi filiorum, & speciei propagationi vacare cum detrimento proprio. Neque enim potestatem tui corporis coniugi tradis ad coniugalem usum, nisi saluà eius incolumitate, uti ex communi sententia docet D. Thom. in 4. d. 32. quest. unica art. 2. Durand. ibi quest. num. 8. Gab. quest. 1. art. 2. conclus. 1. Sanch. aliis relatis, lib. 9. disp. 2. num. 17. Azo. 1. 3. lib. 5. cap. 1. quest. 20. Laym. lib. 5. tract. 10. 3. part. cap. 1. num. 5. Basl. Ponce, lib. 10. cap. 14. à numero 2. Coninch. disp. 34. dub. 3. numero 20. Galpar Hurtado disp. 10. difficult. 12. num. 53. Ex quo fit, si coniux sit lepra, peste, morbo gallico, alioque contagio infectus nequaquam tenens reddere, si ex Medicorum iudicio periculum contagionis adfit, ob rationem dictam, quia prius proprio indiuiduo, quam speciei propagationi prouidere debes; uti expressè prædixi Doctores asserunt, & deciditur expressè in cap. 1. de coniugio leproforum. Neque contrarium decidit Alexand. III. in cap. 2. eodem. tit. dicens. Si virum, vel uxorem leprosum fieri conigerit, & infirmus à sano debitum exigat, generali præcepto Apostoli quod exigitur est soluitur: nam Alexand. III. intellexit de solutione debiti vna vel altera vice facta, eo quod præsumptè congressum longo tempore interopolatum nociturum. Quare si hæc praesumptio cesserit, & moraliter constet ex vno coitu graue damnum tibi prouenire posse, nequaquam tenens. Quod verum habet, tamen à principio cognouisses coniugem prædicto contagio infectum esse, quia obligationi conseruandi tuam corporalem salutem, illamque præferendi filiorum propagationi cedere non potest, tamen contra videatur sentire Layman. & Galpar Hurtado loc. alleg.

Ob periculum tamen incontinentiæ docuit Gab. in 4. d. 32. quest. 1. art. 2. Petr. de Ledesma. q. 64. art. 1. circa 2. conclus. difficult. 2. conclus. 3. Rodrig. 1. 1. sum. cap. 243. conclus. 2. te obligatum esse reddere petenti, quia spirituale damnum coniugis præferre debes tuo corporali damno. Sed rectius contrarium censuit aliis relatis Sanch. lib. 9. disp. 2. num. 12. Basl. Ponce, lib. 10. cap. 14. num. 2. Coninch. disputat. 34. dub. 3. n. 21. Layman. lib. 5. tract. 10. 3. p. cap. 1. num. 5. Quia illa non est extrema necessitas spiritualis, cui obligatus sis succurrere cum damno tuè salutis corporalis, potest namque patiens periculum alia plura remedia adhibere, quibus diuina gratia adiutus illud vincat.

Quintò, ob eandem rationem excusaris à debiti redditione, si nociua futura sit proli concepta. Neque enim æquum erat cum iactura vniuersi bouum alterius intendere, maxime illius qui nondum in rerum natura existit. Quinimo in probabili sententia excusaris, si proli concipiendæ damnum obuenturum sit, quia leprosa, vel defectuosa timetur nascitura, si eo tempore concipiatur, ut constat ex iis quæ diximus de licito vsu coniugij tempore mensurari, prægnationis, amenitatis, ebrietatis, &c.

6 Sexto emittenti votum castitatis regulariter non tenetur debitum reddere, quia ipse in honorem Dei censendus est iuri petendi debitum tibi cessisse. Quod si votum castitatis ex tuo consensu emisisti, non solum non tenetur debitum illi reddere, sed nec potes ab eo exigere, quia eius voto consentiens iuri debitum petendi renunciasti, ut latius superius dictum est, & tradit Laym. lib. 5. tract. 10. 3. part. c. 1. n. 12. & 15. in fine.

7 Septimo affinitatem ex incestu contrahenti durante prædicto impedimento non tenetur debitum reddere, ut est omnium sententia, quia ob crimen commissum incestuosus priuatus est iure petendi debitum cap. exan. missa, cap. una fraternitatis de eo qui cognouit consanguineos suos. Probabile tamen est iniquè petenti te reddere posse, ne ex delicto alterius ius tuum petendi, & reddendi debitum diminuat, ut aduersus alios probat Sanch. lib. 9. disp. 6. n. 12.

8 Octavo ab obligatione reddendi debitum sub graui culpa excusare difficultatem grauem parentum in alendis filiis si multiplicentur, asserunt Sorus in 4. d. 3. quest. vltima, art. 1. Rodrig. summ. tom. 1. cap. 243. concl. Saa. verbo Debitum, n. 18. Quinimo Petr. de Ledelm. de matrim. quest. 64. art. 1. in fine. Sanch. lib. 9. disp. 2. n. 3. Galpar Hurtado disp. 10. de matr. difficult. 12. n. 54. & alij censent cessante incontinentiæ periculo nullam culpam nec venialem committi in prædicta negatione. Mouentur, quia ab aliis debitis solvendis excusatur magna incommoditas, & difficultas, cui ergo ab hoc debito non excusabit? Præterea non tenetur debitum reddere, si probabiliter times aliquid graue damnum tibi vel proli obtineantur: at si proles nascatur graue tibi, filii que natis damnum imminet, siquidem cogens ex elemosynis emendicatis viuere. Ergo, &c.

9 Ceterum verius censeo ob prædictam rationem, te debitum non posse negare, nisi coniux iuri petendi cesserit, eo quod incommoditas, & difficultas, quam ex multiplicatione filiorum timere potes, præterquam quod dubia est, & incerta, ex ipsamet solutione debiti ex iustitia nascitur. Non igitur eius solutionem impedire potest. Adde filiorum generationem esse præcipuum matrimonij finem, & primam coniugum obligationem, debet ergo hæc præferri obligationi illos alendi, cui obligationi si parentes nequeunt ex propriis commodè satisfacere, satisfaciunt ex aliorum elemosynis filios que exponant; obligationem tamen reddendi debitum non omittant. Sic docent expressè Rebell. libro 2. quest. 16. sect. 1. Coninch. disp. 3. d. 2. in fine. Layman. lib. 5. tract. 10. 3. part. c. 1. num. 16. & videntur esse huius sententiæ, qui indistinctè affirmant esse peccatum mortale negare debitum, ne proles multiplicetur, ut sunt Angel. verbo Debitum, n. 15. vbi Syluest. q. 8. Nauar. c. 16. n. 25. Margarita Confessor. 6. præcepto vers. 8. in fine Ludou. Lopez. 1. p. in tract. c. 79. §. peccat. Graffius, 1. p. decis. lib. 2. c. 83. n. 1.

Nono te excusant aliqui à redditione debiti, si coniux petens excommunicatus sit; quia excommunicatione ligatus priuatur communicatione fidelium. Sed hæc excusatio nullatenus est admittenda; quia ob vitanda animarum pericula coniugibus excommunicatis communicatio permittitur. Cap. quantum multos. 11. q. 3. Quod esto de vxore loquatur, omnes Doctores ad virum extendunt, quia procedit eadem ratio, ut latius tract. de excommunicat. dicemus.

§. XI.

An debitum iniquè petenti possis concedere?

- 1 Si petitio debiti iniqua sit ex parte actus nequis petitioni annuere. Secus si ex parte persona sit iniqua petitio.
- 2 Temperat Basl. secundam partem, ne procedat, quando petens nequit à sua petitione malitiam remouere.
- 3 Difficiliter prædicta limitatio.

Alij generaliter negant, eo quod non liceat iniquè actioni cooperari. Alij e contra concedunt, quia ob iniquam alterius petitionem non es tu priuandus potestate, quam ex matrimonio habes petendi, exigendi que debitum. Alij quibus ego assentior distinctione vtuntur, inquit enim, si petitio debiti iniqua sit ob aliquam circumstantiam, quæ ipsum actum externum vitiet, nequaquam poteris petenti debitum concedere, quia petit tibi illicitum, ut si absque necessitate petat in loco sacro, vel cum periculo abortus, vel damni prolis, aut tui, vel petentis grauis nocuenti. Fateor tamen aliquando ex negatione debiti timeri posse grauiora mala quam ex eius concessione, & eo casu iam petita copula illicita non erit, ac proinde poteris petitioni annuere, sicuti aduertunt Petr. de Soto, Sanch. & Layman. & statim referendi. At si non ob circumstantiam tenentem se ex parte actus, sed ex parte petentis petitio iniqua sit, optimè poteris petiti concedere; quia cõcedis id quod ex te licitè est, nec tibi potest malitia imputari, ut si petat debitum ob malum finem, hæc distinctione commu-

Ferd. de Castro. Sum. Mor. Pars V.

niter Doctores vtuntur, ut videre est in Petro de Soto lect. 16. de matrim. in fine. Couarruu. 4. decret. 2. part. cap. 3. §. 1. num. 16. Henric. lib. 1. cap. 15. n. 8. Sanch. lib. 9. disp. 6. n. 7. Coninch. disp. 3. d. 4. n. 25. Paul. Laym. lib. 5. summ. tract. 10. 3. part. cap. 1. in fine, num. 17.

Secundam partem huius distinctionis restringit Basl. Poncel. lib. 10. cap. 3. n. 1. & Galpar Hurtado disp. 10. difficult. 13. ne procedat, quando petens nequit à sua petitione malitiam remouere, sed solum quando ab ea petitione potest separare malitiam. Nam quando petit tibi copulam, à qua ipse petens separare malitiam nequit, necessariò à te postulat cooperationem ad actum, qui hic, & nunc malus est. Secus vero contingit, quando ab eo actu separari malitia potest. Ex quo inferunt dubitanti de matrimoij valore astricto voto castitatis te non posse debitum reddere; quia ea copula petita ita mala est petenti, ut nequeas vlla ratione ab ea malitiam separare. Secus vero quando solum est mala, quia prauo sine petita est.

Ceterum huic limitationi acquiescere non possum, ideò que exillimo superiore doctrinam generaliter veram esse, nempe quoties malitia non se tenet ex parte actus externi, sed ex parte personæ petentis ob aliquam circumstantiam, que non ipsum actum, sed personam petentem afficiat, licitè te posse debitum petiti concedere, quia eo casu non videris cooperari alterius peccato formaliter, siquidem illa actio externa in se peccatum non est, sed quatenus procedit ab eo, qui eam exercere est impeditus ob votum, vel aliud impedimentum: si enim cum petens iniquo sine in petitione ducitur, separare que à petitione malitiam potest, non ceteris eius iniquitati cooperari, neque etiam censendus es, cum voto castitatis astrictus, vel impedimento ligatus debitum petis: nam actio externa æquè ex prauo sine ac ex voto castitatis, vel afinitatis impedimento vitatur. Cooperari autem actioni, quæ solum ex circumstantia ipsi extrinseca mala est, non est intrinsecè malum, sed ob aliquam rationabilem causam honestari potest. Quinimo ex timo non solum te posse in supradicto casu petitioni acquiescere, sed regulariter obligatum esse, ut pluribus firmat Sanch. dicta disp. 6. n. 7. eo quod petens non amiserit ius petendi ex iustitia. Quod exemplis manifestari potest. Si enim dubius de matrimoij valore à te nullam dubitationem habente copulam petat, tamen tu conscius sis illius dubitationis, tenetur eius petitioni acquiescere, quia ob eius erroneam conscientiam ius petendi non amiserit. Item astrictus castitatis voto, si tibi non cessit ius petendi, & cessionem illius non acceptasti, solum Deo, & non tibi obligatur, ac proinde aduersus Deum tantum, & non aduersus te petendo delinquit, sicuti si nummos apud te depositos haberet, & Deo promitteret non exacturum, si postmodum exigeret, tu obligatus esses concedere, quia ex promissione Deo facta nullum ius retinendi illos acquisisti. Ab hac tamen regula excipit Sanch. dicta disp. 6. n. 8. impedimentum afinitatis, quo ligatus ius petendi amiserit in penam commissi delicti; & sicut ei qui propria voluntate cessit ius, non tenetur debitum concedere, sic non tenetur concedere cui legibus prædictum ius sublatum est.

PUNCTVM V.

De mutua coniugum habitatione, & effectibus inde subsequens.

§. I.

Obligantur coniuges ad mutuam habitationem.

- 1 Obliganur mutuo habitare.
- 2 Huic obligationi ex mutuo consensu cedere possunt.
- 3 Secluso prædicto consensu peccatum graue est diu coniuges esse separatos, nisi necessitas urgeat.
- 4 Ex causa familiae, vel Reipublicæ necessaria potest vir ab vxore diutius separari, & virum tenetur vxor sequi, si commode potest.
- 5 Vir ab vxore iuste discedens non tenetur secum vxorem deferre.
- 6 Ob votum castitatis, vel affinitatem contractam non licet alteri coniugi à domo, vel mensa recedere, sed solum se parare thorum.

Primo certum est coniuges obligatos esse iure naturali, & Diuino simul habitare in eadem domo, ad eandem mensam accubare, & in eodem lecto iacere: id enim postulat matrimonij natura, quæ indiuiduam, & inseparabilem coniugum vitam continet iuxta illud Genes. 2. Propter hanc relinquet homo patrem, & matrem, & adheret uxoris sue, & erunt duo in carne vna. Et Matth. Omnis qui dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam mechari. Quod si aliquis coniugum huic obligationi non satisfaciat, compelli potest à

Judice